DEO OPT. MAX.
UNI ET TRINO,
VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICO-CHIRURGICA
QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS, manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis vigesimâ secundâ mensis Martii, anno Domini M. DCC. LXIV.

M. MICHAELE-JOSEPHO MAJAULT, antiquo Regis exercituum in Germaniâ Medico, Doctore Medico, Præside.



An in Œdemate vesicantia scarificationibus tutiora?

I.



INTER integumenta varia corporis humani meritò annumeratur textum cellulosum, principale quidem dicendum, seu usus suos multiplices spectaris, seu etiam molem consideraveris. Pinguedinis sedes unica, ex quâ, veluti è promptuario, in usus naturæ varios continuò educitur: per universum protenditur corpus; adeò ut nulla sit pars, quæ hujusce telæ auxilio careat. Modò laxiori, modò strictiori stamine contexta, prout lamellis, aut teretibus filis constat, sub cute perpetuò substernitur: hinc illi firmiter annexa flexilitatem atque mobilitatem conciliat: indè, altiùs ad interiora penetrans, omnibus corporis partibus adhærens, ipsas ambit & in sede debitâ continet. Nulla vasa, nullus est musculus, lacertus musculorum nullus, nulla porrò fibra, quæ hocce involucro non proximè investiatur (*a*) Sed quid verbis opus est, ubi ipsâmet autopsiâ edoceri libet. Mactato bove, quid agant lanii videte? Sectâ cute suprà pectus, apicem follis tubulatum eam inter & substratas carnes inserunt, cujus ope aër magnâ vi inducitur; hic, premente novo, è cellulâ in cellulam patente, prorepit; dum minister adstans, fuste duplici armatus, in numerum singulas corporis partes contundit; itâ enim, disruptis filamentis quæ fortiùs cutem adnectunt, actoque per alternam subitamque compressionem aëre, brevi ita undequâque elevatur pellis & intumescit animal, ut, quod priùs erat macilentum aut tabidum, jam mole suâ rotundiori, pinguissimi, succique plenissimi corporis aspectum præbeat. Nunc, sectâ cute, videtis, ut insufflatis cellulis, ipsa tela musculos inter se se insinuet, involucraque & nexus singulis eorum fibrillis subministret. Videtis quantò faciliùs corium sic à reliquo corpore insufflato, exceptis quibusdam locis, ubi strictiori vinculo adhæret nec vento dilatari sinit, cedat & detrahatur. Sed quod hìc ex artificio fieri cernitis, aliàs è contrà ex morsu quorumdam animalium (*b*), aut sponte ex vulnere inflicto trachææ arteriæ vel thoraci, sæpè sæpius accidisse fuit observatum. Patet igitur quod ex quâcumque telæ cellularis sede via patula sit in quemlibet corporis locum & ideò aër aut liquor quicumque in hâc vel illâ parte effusus, brevi in cæteras omnes, etiam remotissimas, fluere atque moveri possit (*c*). Hæc enim simili apparatu usque ad ossa ossiumque interiora pervadit; quorum medullam, medullaremque succum intra sua loculamenta continet. In Calvariâ arachnoïdeæ nomine,

(*a*) *Halleri*, Physiol.

(*b*) Vipera *Physeter* dicta, in Asiâ & Africâ.

(*c*) *Haller*, ibid.

meninges utraſque interjacet, ſingulisque vaſis, vaſorumque ramis ſubſternitur. In pectore non ſolùm membranas firmiter circumductis coſtis, ſterno, vertebris muſculiſque adnectit; ſed earum inter duplicaturas aut lamellas, vaſiſque circumpoſita reperitur. Pulmones ipſi, mira quidem Pneumatica machina, ſi fides Helvetio (*d*), ipſo hoc textu conflantur. Idem de peritonœo, inteſtinis, cæteriſque abdominis partibus, quarum ſingulæ eodem vinculo aliis alligantur, aut ex eodem textu ferè totæ componuntur. Adeò ut mirum nequaquam ſit plurimos adeſſe auctores, qui totum ferè corpus hocce ſingulari ſtamine conflari audacter contendant. Sed qui de hâcce telâ plura deſiderat, adeat *Marcellum Malpighium* ipſum, *Ruiſchium*, ill. *Hallerium*, ac, ne ex noſtrâ Scholâ recedamus, celeb. ſenem *Winſlovium* atque tandem *D. Thierry*, qui Theſim de hocce textu conſcripſit, in quo *frequentiùs morbos & morborum mutationes eſſe* * contendit. Nec immeritò, quandoquidem textum cellulare per ſe merè quid iners ſit & paſſivum, neque ullo motu & energiâ donetur. Hinc, quoties ex diſruptione, aperturâ, vel relaxatione vaſorum, intrà illud effunduntur humores varii, toties exoriuntur aut inflammationes phlegmonodeæ, aut eræſipelatodæ, pro variâ erumpentis humoris naturâ; emphyſema durum & tympanites, ſi fuerit aër; vel leucophlegmatia univerſalis aut peculiare œdema, ſi lympha aut ſerum ſanguinis fuerit eductum. De hocce poſteriori genere agentes, illud tantum in eo ſtatu, quo medicationem internam eludens, auxilia tandem Chirurgica expoſtulat, conſiderandum ſuſcepimus; ac proindè, nùm ad ſcarificationes aut potiùs ad veſicantia, tanquam auxilium præſtantius, ſit protinùs confugiendum, ſtatuere conabimur.

(*d*) *Helvet.* in Comment. R. S. A. 1718.

* 1749.

II.

» EST nempe œdema, juxta Stahlium, recepto vocabuli uſu, tumor partis cujuſdam cum inſigni plerumque infarctu; pallidus, frigidulus aut promptè frigeſcens, indolens, tactui, non ſolùm in genere, mollis, ſed in ſpecie quoque; fortiori preſſioni ità cedens, ut ſcrobiculum formet & aliquantiſper ſervet: extremos imprimis artus, & communiſſimè pedes occupans: pertinax communiter & refractarius; facilè poſteà augeſcens & latiùs ſe diffundens, &c. (*a*) His enim notis clarè diſtinguitur tumor œdematoſus ab aliis, tum inflammatoriis, tum eryſipelatodeis tumoribus, ut potè qui cauſas longè diſſimiles incuſantes, curationem proindè diverſam expoſtulant. Plurima reperies quæ hunc morbum inducere poſſunt; habitus corporis pituitoſus, mollis, phlegmaticus, ſeu aſcititius ſit, ſeu à parentibus contrahatur: prava humorum diatheſis, ut defectus ſanguinis, nimia ſeroſi laticis copia, & lentor, & ſpiſſitudo lymphæ; indè oriuntur toties tumores illi ex prægreſſis hæmorrhagiis, aut ex nimiùm celebratâ venæ ſectione; nam ſic deſtructo ſolidorum omni elatere, ſtagnant humores & iis præcipuè in partibus coacervantur, ad quas vires cordis vix pertingere poſſunt. Oritur quoque œdema ex plethorâ, ex cohibitâ perſpiratione, & ſæpè ſæpius ex malâ curatâ febre, aut cortice peruviano, vel ſpirituoſis aut aliis febrifugis medicamentis perperàm adhibitis. Fit quandoque ut in tumore inflammatorio, aut eryſipelatodeo, ſpiritu vini malè uſurpato, habitus diſcutiatur inflammatorius, gangræna verò ſuccedat aut pertinax œdema (*b*); ſicut etiam fit per metaſtaſim ſubitò depoſitam in febribus maligni moris; ſed ulterior in hocce caſu expoſtulatur Medici attentio: nam mobilior hæc materia, ut citò decubuit, ſic quoque citò ſe ſubducit, ægrumque, inſcio & ſtupente Medico, uno oculorum ictu ad plures deducit. Modò oritur œdema à nimiâ compreſſione venarum, teſte *Lowero*; modò ex ſpaſmo diaphragmati diutiùs incumbente (*c*). Nunc ex ſcabie retruſâ (*d*), nunc *ex anguſtiâ & ſpirandi difficultate, quæ orthopnææ vel aſthmatis nomine inſignitur; ita ut ſi vehementiùs urgeat, ut eſt aſthma convulſivum, eò facilius funeſtum thoracis hydropem aut aſcitem ipſum produci, ſicut contrà lentum & diuturnum paulatim cachexiam & pedum œdemata*

(*a*) *Stahlii* Medic. Dogm. ſyſthem. Sect. II. de Œdem. pag. 631.

(*b*) *Stahl.* ibid. pag. 633.

(*c*) *Hoffin* de Hydrope.

(*d*) *Hyppoc.* in epidem. *erat inquit, Athenis homo quidam fœtidiſſimâ ſcabie laborans, atque*

conciliat (*e*). Nec omittendæ ſunt nimiæ & diuturniores artuum perfrigerationes, imprimiſque pedum cum humiditate conjunctæ, quæ tales & ſæpe immedicabiles inducunt tumores, quorum adeò frequentiora ſunt in fœminis exempla. Sed plerumque oritur talis diſpoſitio ex ſuppreſſione criticæ evacuationis, ut fluxûs hemorrhoïdalis in hominibus : *Trajanus Imperator* (*f*) *ex retentione hemorrhoïdum aſciticus factus eſt & curatus, ſed recidivam paſſus mortuus legitur apud* Dionem Caſſium. Ex obſtructione hepatis, indèque vitiato ſanguinis circulo in venæ portarum ſyſthemate, ut & in fœminis ex menſtruis malè cedentibus, obſtructione aut ſpaſmo uteri, cæteriſque hiſtericarum affectionibus (*g*). Sed nulla œdematis frequentior cauſa, quàm jam declaratus hydrops; non ſecùs ac œdema ipſum peculiare, quandoque etiam hydropis cauſa evadit (*h*). Notandum enim quod ſi cachexia aut hydrops induxerint œdema, tunc certè periculoſius fiet, ideò quod à cauſâ oriatur internâ, & circa viſcera ſummæ dignitatis hærente; dum è contra à cauſâ externâ procedit, & eſt parti cuidam quaſi privatum ac domeſticum, facilius tollitur; licet in iſto œdematis genere, adſit & partis tonus relaxatus, & eadem ſeroſo lymphalis humiditatis ſpiſſitudo (*i*), quæ in ſede quâdam, pedibus v. g. & circa malleolas depoſita, ibi increſcens, vires acquirit eundo, humores omnes labe eâdem inficit, inde pedetentim aſcendit, ſuras diſtendit, viamque juxta vaſa cruralia & nervos relegens, intra abdomen viſcera infarcit, aut per totum corpus leucophlegmatiam univerſalem, vel hydropem particularem atque funeſtum generat. Plurimos etiam reperies, qui dicant œdemata, hydropes & iſtius generis morbos, oriri ſæpe ex eroſione, crepaturâ aut diſruptione vaſorum lymphaticorum at perperam ſanè ut videtur : quî fit enim ut nunquam vel rariſſimè talis ſe præbeat cauſa in corpore ſano benèque conſtituto? In quo non minùs poſſunt rumpi vaſa lymphatica, quam in cachecticis, cur pravus ſolidorum & fluidorum, habitus ſemper hydropem & œdemata præcurrant potiùs quam ſequantur? Quoad eroſionem, quis neſcit eam non manifeſtari, niſi confirmato jam corruptelæ gradu; ita ut cacochyliam, cacochymiam & deinde è veſtigio ſequentem cachexiam, ſemper, aut plerumque ſaltem, hunc ſtatum præceſſiſſe certum ſit. Sed poſitâ hâc tali diſpoſitione, perpendamus quæ exindè neceſſariò ſequantur in corpore. Qualicumque enim de cauſâ vitietur bona ſanguinis conſtitutio, ſeu hæreat malum in parte peculiari tantùm, quæ jamdiu affecta adeò tonum circà ſolida amiſit, ut ibi ſtagnatio, congeſtio humorum, atque tumor ingens vixque reſolubilis prognaſcatur; ſeu ex corruptâ tum primariâ tum ſecundariâ digeſtione, ut in iis, qui ex obſtructione aut infarctu pulmonum, hepatis, pancreatis, meſenterii glandularum, uteri, aut qualiſcumque alius ejuſdem dignitatis viſceris laborant, ſeu ab exhauſtâ nimiâ rubræ ſanguinis partis quantitate, ut poſt diuturnas aut enormes hemorrhagias, aut plus æquo, repetitas venæ ſectiones, *nam*, ut ait Galenus, *ſi copioſiùs abſumatur ſanguis, fit ut tota moles reddatur frigidior, operaque naturalia deteriùs perficiantur* (*k*). Tunc, inquam, neceſſe eſt, ut ex utrâque cauſâ, eadem ſemper conſequantur, languor ſcilicet atque proſtratio virium; nam ſi fuerit exhauſta præcipua ſanguinis rubra portio, cæteræ omnes illius liquidi partes à ſuâ craſi naturali deſciſcunt; cum ex eâ tum robur, vires atque calorem corporis, tum perennitatem & æquabilitatem circulationis, ipſiuſmet etiam fermentationis, à quâ ſolâ ſuas ſibi præſcriptas mutationes ſingulæ illæ partes mutuantur, energiam pendere non dubium eſt. Proſtratis ſic ſolidorum viribus, infectâque totâ ſanguinis maſſâ, arteriæ, ut potè fortiores & magis elaſticæ, hâctenùs ſuo qualicumque munere funguntur : per oſcula igitur ultimarum propaginum, ſuum tenuiſſimum ſeroſo-lymphaticum rorem intra varias corporis cavitates ſolito adhuc more evomunt; ex quibus aut protinùs à venulis reſorbendus, aut eum ſtagnari atque putreſcere neceſſe eſt. Inter varias corporis cavitates, quæ hunc accipiunt rorem, non ultimò recenſendum venit textum celluloſum, in cujus cavernulas ſuis laminulis variè appoſitis confectas, intraque ſe invicem patentes tenuis exha-

ut ſanaretur milos acceſſit, ubi calidæ ſunt thermæ, quarum uſu convaluit à ſcabie, ſed paulo poſt incidit in hydropem & exindè mortuus eſt.

(*e*) *Hoffm.* ibid.

(*f*) *Hoffm.* ibid.

(*g*) *Hoffm.* de hydrope. *Hippocrat.* Aph. Sect. VI. Aph. 12.

(*h*) *Hoffm.* ibid. *Stahl.* ibid.

(*i*) *Stahl.* ibid.

(*k*) *Galen.* de Scarific.

latio illa appulsa deponitur; at quoties resorbentia vasa aut vitio generali viscerum, totiusque œconomiæ animalis depravatione, ut jam dictum est, muneri suo fiunt impares, secretus ille humor retinetur primùm in hâc vel in istâ corporis parte, quæ majori vitio laborat; in pedibus putà, ut potè qui magis à centro motûs dissiti, magis indè ingruenti malo cedere coguntur; ibi ergo sistitur, accumulatur, inspissatur quoque, per resorptionem tenuioris; implentur cavernulæ cellulares, imò distenduntur, cellulæ viciniores simili inficiuntur humore, madent, viamque per communes & notos aditus adventanti pandunt liquido; atqui hoc non solum sic se habet in textu qui cutem & musculos intercedit, sed in illo quoque, qui vasa, musculos, musculorumque lacertos interjacet; undè *humectatione nimiâ fibris inductâ, sensus ita gravissimè enervatur, ut æger ipse frigidissimi ad tactum membri frigus tamen ipse non persentiscat* (*l*). Quin imò cutis ipsa, quæ elasticitate atque contractilitate suâ, textui adiposo, madenti & distento contranititur, nunc exundante, aquâ prægnans, ultràque tonum debitum acta, ipsa, inquam restituendo se se impar evadit: sic igitur fracto cutis elatere, ferè omnis perspiratio externa sistitur; perit & ipse sensus, & vita, & irritabilitas partium, sine quibus vana sunt auxilia, neque ulla adhiberi potest Medicina salutaris, fit indè refluxus ad interiora, infarctus stagnatio humorum, in crasi sua mutatio, inspissatio, decompositio atque simul putrefactio; tum erosiones, ulcera maligna, aut gangræna immedicabilis. Hæc omnia qui priùs optimè non noverit, difficile erit sane, eum rectè circa diagnosim vel prognosim se gerere, aut ad curationem certo judicio se accingere posse.

(*l*) *Stahl.* ibid.

III

SIC itaque male affecto corpore, jam jamque ultima minitante œdemate, infausti quam plures eventus docuerunt illud omnem internam opem medicamentaque ore sumenda sæpius eludere atque superare: tunc ad mortis angustias redactus, artem chirurgicam, unicum tanquam refugium, implorat miserabilis æger. Sed quodnam auxilii genus fuerit adhibendum? hoc ex ipso statu, tum morbi, tum ægroti, tum etiam ex iis quæ priùs præcessêre, optimè dignoscitur atque judicatur. 1°. Effugium, ex labefactato tono ad renes negatum, versus exteriora turgentibus aquis, vi pandere necessum est. 2°. Collapsæ atque fractæ vires, cum ipso partium elatere languente, sunt erigendæ. 3°. Apponatur etiam ad plagam, in loco decliviori factam, irritamentum quoddam, quo fibræ, jamdiù insensiles factæ, vasaque è torpore suo ad solita munia, oscillationesque suas revocentur atque resurgant. 4°. Tandem summâ cum cautelâ vitandum ne profundior infligatur plaga: nam quæ facta sunt in suris, aut in scroto vulnera, fieri, etiam in statu sano, sæpè sæpius aut diuturniora, aut quandoque funesta evadere docuit experientia. Atqui hæc omnia tutiùs obtineri per vesicantium applicationem vel minimè attentus fatebitur; nam seu ex vegetantibus desumantur, qualia sunt sinapi, cochlearia, raphanus rusticanus, nasturtium & alia quæ ex cruciferorum classe in usum similem vulgo vocari consueverunt; sive allium, cepa, sive chelidonium majus, &c. quæ cuncta spiritu valdè actuoso acri, rodente aut oleo summe volatili atque caustico scatent, ut ex odore penetrante notum est, aut ex sapore acriori; ità ut, etiam nolenti & invito, lacrymas ex oculis excutiant; imò sæpè tangenti pustulas & ulcera inurant; aut ità presso pede ad putrefactionem vergunt, ut brevissimo horæ intervallo, quæ etiam dulciora sunt, veluti Brassica, & plura id genus, acria tamen atque caustica salia generent; seu verò ex animali regno arcessantur, qualia sunt quæ usu vulgatiora, in quibus spiritus (an dicam acidi vel alkalini? Cum nullâ hactenùs experientiâ eos hujusce posterioris, dotis alkalinæ esse evinci potuerit) & olea acria, volatilia adeò sunt evoluta, ut & odore & subitaneâ ferè corrosione manifesta se præbeant. Talia sunt varia insectorum & scarabæorum genera, diversæ formicarum species, Muscæ quædam, Grilli, Locustæ, Onisci seu Aselli, atque, om-

nium longe potior, Cantharis major, vulgaris, officinarum seu musca Hispanica; Scarabæi genus, cujus adeò accurata descriptio apud plurimos Historiæ naturalis cultores passim prostat & exaratur, ut hîc longius de eâ differere, & toties jam dictata regerere supervacaneum foret; monendum tamen quod pars hæc cantharidum adeò volatilis, caustica, rodens, fœtens & virulenta neque ex experimentis acida, ut neque alkalina ullo modo reperiatur. Est & aliud vesicantium genus, quod ex farinâ aquâ subactâ ad fermentationem acidam deducitur, fermentique nomine insignitur; hæc, & sexcenta alia, seu sint simplicia, seu composita, ut quæ sale, pipere aut aceto condiuntur, & emplastris adduntur, quale est emplastrum epispasticum, aut tandem sinapismi varii gradus, hæc, inquam, loco affecto applicata, brevi, ope humiditatis suæ & humoris ex cute transudantis, pruritum creant, soluta sic penetrabili parte volatili, papillæ nerveæ, sub cuticulâ jacentes, irritantur hinc posteà dolor, tensio atque, qui priùs perierat, redit calor; vasa quoque, tum absorbentia, tum exhalantia, de novo resurgunt, contractilitatem & oscillationes suas redintegrant; major quantitas liquidi ad partem sic dolentem & leviter inflammatam, jubente naturâ, appellit; cuticula a substratâ cute decedit, & affluente humore, in vesiculas sero scatentes elevatur, partes volatiliores medicamenti topici, obstructa aut collapsa vasa reserant & stimuli ad instar, restitutâ eorum irritabilitate, ulteriùs prorependo tandem in fluentum sanguinis rapiuntur; undè auctis circulatione, & sanguinis motu, viscidiras ejus simul & lymphæ solvitur, restituuntur aliquantulùm variæ functiones prius languentes, & major urinæ secretio, quæ toties hujusce medicamenti actionem comitatur. Dùm interim aqua, seu serum, quo totum corpus aut pars sola tantùm ægra madebat, ad locum dolentem & irritatum, ope stimuli præsentis, continuò evocatur & inde adeò subducitur, ut sæpè non guttatim, sed etiam continuo rivulo effluere videatur. Sic igitur exundante sero liberatæ partes, musculi priùs compressi & nunc sui juris facti, irritabilitatem nativam recipiunt, atque suis motibus & muniis restituuntur: hæc enim bona quæ dicimus, sequi necesse est, tum ex ipsâ medicamenti naturâ, tum ex parte seu organo, cui immediatè applicatur; quoad medicamentum spectat, jam notavimus illud agere præ primis oleo & principiis suis acribus, causticis & summè penetrantibus, ut constat ex ipsisimet experimentis & observationibus factis tum in ipsis plantis, tum quoque in insectis suprà nominatis, & præ primis in cantharidibus. Quoad cutem, cui immediatè applicantur, hanc esse potiorem sensilitatis atque secretionis organum, utpotè conflatam innumeris arteriarum venularum que finibus, sic ut ex ultimis nervorum papillis, quæ omnia textu cellulari adeò reticulatim colligata intricantur, ut corpus, seu stamen strictum valdè & densum facile dilatabilem aut se se crispantem efforment, nemo nescit. Quid mirum igitur stimulum, qui continuò parti inhæret, eam sollicitat, vellicat, partesque suas magis subtiles, & actuosas intra vasa per eorum ora hiantia amandat, effluxum aquarum fovere posse? Quin imò adeò potenter agunt, ut evacuatâ aquarum parte majori, ortâque inflammatione levi atque benignâ, sequatur tandem optima suppuratio, (quæ hisce in casibus nunquam, nisi ex viribus aliquantisper reparatis, erectoque partium tono, obtineri potest,) salusque reddatur ægro, nisi viscera adeò fuerint contaminata, ut in vitæ discrimen certum adducatur, nec ulla amplius salutis spes remaneat; quo quidem in casu; tolli quidem in præsens potest œdema, sed ex hærente causâ morbi, novum semper, tanquam è fonte perenni, scaturit, donec, undique fatiscente naturâ, è medio tollatur æger. Pugnat quoque pro vesicantibus methodus alia, usu diuturno ab antiquis celebrata, apud recentiores verò obsoleta malè (a) cauterium scilicet actuale, sive ferrum ignitum. Cujus actio, quandò corpori inuritur, promptissima atque vehementissima est; neque ibi tantùm circumscribitur. Quanti enim ex inustione oriantur cruciatus! cum ab eâ tota violenter commoveatur œconomia & ità in sede suâ anima succutiatur, ut ex ipsâ etiam acutissimi doloris dirâ recordatione, perterrita turbataque diù contremiscat. Undè, seu effectus, seu

(a) *Vide* Journal de Medec. Octob. 1761. p. 349.

vulneris aspectum aut ejusdem eximiam & diuturniorem sensibilitatem consideraveris, causticis sanè aliis & vesicantibus, licet potentius, suppar tamen esse, & ideò quandoque eisdem succenturiari posse cauterium, non denegabis. Num igitur hæc bona ex scarificationibus expectare licet? qui eatum naturam & operandi modum cum vesicantibus, attentâ mente, comparaverit, facili de negotio, has cum istis utilitate, nullo in casu, decertare posse fatebitur.

I V.

STABILITA jam, ut nobis videtur, omnibus rationum momentis efficacitate vesicantium in vario œdematis genere, nunc afferamus necesse est, tum ex veterum, tum recentiorum commentariis, argumenta & observationes, quæ sententiam nostram confirmare valeant. *Celsus*, Cap. de *Hidropicis*, ait, *imponendum verò in eum* (VENTREM) *crebrius sinapi, donec cutem erodat.* » Paulus Ægineta scripsit: *Cæterum eximios pedum tumores, quos ædemata Græci dicunt, Anthyllis (a) quæ in aceto maduerit, foliaque brassicæ in latum super deligata discutiunt.* (b) Audiamus Cælium Aurelianum dicentem: *Item sinapismus in Hidropis curatione, usque ad cutis tumorem adhibendus, qui maximè vehementem fortitudinem locis humore corruptis, atque, ut ita* dicentem, *tabentibus admovet ac ministrat.* (c) Undè videris nullo modo à nostrâ sententiâ circa vesicantium actionem differre Auctorem, qui asserit *vehementem fortitudinem* tonum scilicet, sensilitatem atque robur admovere sinapismum *locis humore corruptis.* Hoffmannus, *quando*, inquit, *ipsa natura optima medicatrix, sponte suas sibi quærens vias, cutis poros, vel in pede vel in abdomine aperit, per quos, non sine notabili tumoris subsidentiâ, dies noctesque multum seri profunditur, cavendum maximopere est ne corruptio accedat; quam per epithemata quæ superiori loco præscripsimus, frequentius adhibita debemus prohibere.* (d) Epithemata autem illa, undè sunt nisi è tonicorum, roborantium, & etiam rodentium generе repetita? quæ denudatæ cuti applicata, sensibilitatem atque contractilitatem amissam restituunt, inflammationem movent, ac proindè corruptionem arcent & avertunt. Quin imò Auctor idem. Cantharides in hydrope, pro usu interno consiliat; & ait *quia vero etiam urinæ fluxu hydropicis tumor absumitur atque abigitur, pulvis cantharidum cum sale tartari mixtus, additis aliquot ad arcendam inflammationem nitri depurati granis, & uno camphoræ, diuresi movendæ largissimæ apprimè inservit, modo humores ad hanc dispositi sint excretionem.* (e) An dubium est pulverem hunc cantharidum topicis additum, progressu celeri, per poros cutis intrà sanguinis fluentum proripi & diuresim movere posse? Cum toties experientiâ constiterit, hoc genus vesicantium, non solùm ardorem & inflammationem vesicæ, sed etiam mictum sanguineum excitasse. Sunt & aliæ duæ observationes in Actis Academiæ naturæ curiosorum, à *D. Schuster* consignatæ, quarum primâ constat, Auctorem vesicantia in ægro asthmate & œdemate pedum laborante feliciter adhibuisse, ex quibus maximam aquarum derivationem ex pectore pedibusque obtinuit. (f) Patet etiam ex secundâ, quod in hydrope pectoris ex asthmate orto, juxta mentem, ut ait ipse, Hipocratis & Baglivii, similia quoque suris vesicantia applicasset, non minori cum successu. (g) Hæc autem, & alia passim apud auctores; sed missa faciamus; nunc tantum duas referre juvat observationes sapientissimi hujusce Theseos præsidis, quas summâ, quâ pollet humanitate, mihi communicare dignatus est. Mulier annorum 25. aut 6. nata, prægnans & partui propinquior, adeò œdematosa facta est, ut vulgaris amphoræ magnitudinem ad minus, vulvæ labiorum utrumque adæquaret: Tres jam effluxerant septimanæ, cum hocce incommodo miserabiliter torqueretur: compressione nimiâ vix iter concedebatur urinæ, ita ut, tum ab ejus stagnatione, tum à frictu mutuo labia, excoriarentur, & ex ejus acredine plura jam se se darent oculis puncta gangrænosa. Chirurgus morbum scarificationibus aggredi cautè reformidabat, justus sanè timor, ne partes scarificatæ, non secus ac illæ quæ jam excoriatæ fuerant, citò in gangrænam dilaberentur; nam ex eo sanè statu putrescente partium, ac propè

(a) Anthyllis prima Dioscor. Cæs. sivè. After maritimus folio Tereti, Crasso, tridentato; *Tourn.* Inst. R. H. 483.

(b) *Paul. Æginet.* pag. 2.

(c) *Cæl. Aurel.* de Hydrope. cap. VIII. pag. 474.

(d) De Hydrope.

(e) *Hoffm.* de Hydrope.

(f) Nova acta Acad. Nat. curios. in append. à primis Tom. pag. 148.

(g) *Ibid.* pag. 161.

emortuo, promptus erat, facilisque ad gangrænam transitus. Attamen aut tollendus tumor, aut nullus fuisset partui futuro & instanti locus. Accersitur vir humanissimus, casus urget, ergo ex nasturtio aquatico vesicante, item ex anti-septicis & tonicis ammoniaco sale & aquâ vitæ confectum cataplasma statim imperat. Paulò post cuticula resoluta desquamatur, & è textu celluloso, per cutem stimulo sollicitatam, ingens aqua effluxit; continuò evanuit œdema, puncta gangrænosa exfoliata deciderunt, tonus cuti fuit restitutus, feliciori partu peperit mater cunctaque ex voto successère, & plures post annos optimâ adhuc valetudine fruebatur.

Plùs quàm septuagenarius homo, omni intemperantiæ deditus, gulæ imprimis & vino semper indulserat: incidit in hydropem & posteà ascriticus factus est: scrotum intereà adeò œdemate vero intumuerat, ut nisi summè divaricatis cruribus amplius stare aut quiescere posset; vocatis viro præside & duobus Chirurgis, de non tentandis scarificationibus & de eodem cataplasmate adhibendo unâ voce consultum est atque statutum: nec longa mora, ex deciduâ cuticulâ tantum effluxit aquæ, ut pleno filo in terram manaret; collabitur scrotum atque simul ventris tumor omnis œdematosus resolvitur, sed ex ascite constante, & ex pravâ viscerum labe iterùm recrudescens œdema, morti tandem non immeritæ occubuit æger. Sed quantùm præstent auxilii caustica, tum in iis, tum quoque in non multum dissimilibus morbis, clarè demonstratur ex ejusdem observatione, quâ constat anginam gangrænosam ipsâ jam gangrænâ præsente, usu spiritûs salis ammoniaci vaporantis solo, ocissimè curatam fuisse atque sanatam (*h*). Num igitur, hæ observationes vesicantium utilitatem atque præstantiam, etiam in desperatis propè casibus, satis declarare videntur?

(*h*) *Vid.* Journ. de Medec. Juill. 1756, pag. 25.

V.

AT, si qui fuerint, dicent adversarii, in curatione œdematis præcipua medentis intentio hæc est, ut exundantem aquam foràs eliminet: quâ autem ratione promptiùs atque tutiùs id consequetur quam scarificationibus, quæ uno ictu amplæ & plures factæ, plures etiam portas fluido stagnanti eodem temporis momento præbebunt? Sed argumentum illud falsò perstringi posse facili de negotio videtur. Perpendamus igitur quid sit scarificatio, quomodo fiat & quid indè sequatur. Scarificatio est incisio facta aliquâ in parte corporis, ut pus vel sanguis vel alius quicumque humor effluat: aliæ scarificationum sunt superficiales, Gallicè *mouchetures*; hæ autem cutem tantum secant, & in eâ terminantur; aliæ mediocres & ultrà textum cellularem aguntur; aliæ denique profundæ, quæ musculos vel carnes ipsas penetrant: sed cujuscumque generis sint, sunt usque tamen ampla vulnera inflicta in parte jam effætâ, & eâ morbi naturâ laborante, quæ bonæ suppurationi optimæque vulnerum curationi, magis adversatur: quìn imò fiunt hæ scarificationes plerumque in partibus infimis, suris videlicet, vel scroto, quæ magis à corde distant, & ideò in quibus vulnera, apud sanos etiam, longè diuturniora atque periculosiora fiunt, & eo impensius sanantur. Semper inciditur cutis, quæ, ut jam dictum, neque satis dicendum, contextu suo mirabili, nervoso, ibique sensilissimo, tùm mirâ intricatione extremarum propaginum exhalantium arteriarum atque venarum resorbentium, meritò est & habetur præcipuum sensilitatis, irritationis, perspirationis & resorptionis organum: hanc autem sensibilitatem & irritabilitatem isto in casu summè esse necessariam nemo inficias ibit, ut potè sine quâ nulla certa œdematis curationis spes: nam in cadavere neque ex vesicantibus, neque ex scarificatione qualicumque, ullæ educuntur aquæ; indè quò major est vita in parte, eo etiam ibi remedia potentiùs agunt: at in quantùm inciditur cutis, in tantùm illud destruitur organum. Pone non modo cutem, sed etiam incidi simul textum cellulosum; quid fiet? cum ex naturâ suâ sit nullâ sensibilitate donatum, quantominus sperandum est nunc, cum stagnantibus aquis turgidum est atque madidum?

visne carnes ipsas & musculos transadigi ferro? at cum hæ non instituantur operationes, nisi in extremo gradu ac propè jam desperato œdemate, nihil ultra proficies: fibræ enim musculares jam tabidæ factæ, ac veluti mediis in aquis sepultæ, omnem vim & irritabilitatem suam amiserunt. Hinc quò profundior incisio, eò corruptio promptior; indè tetra ulcera, grangæna immedicabilis, atque certa mors. Attamen quandoque rectè succedere scarificationes non negamus; tunc sanè quando, nondum sunt corporis effætæ vires, adhucque valida est pars affecta, neque labefactatur tonus (*a*); sed si in iis casibus benè sit cum scarificationibus, quarum veluti fonticulorum, effectus, in parte ferè totus terminatur, quantò meliùs atque tutiùs cum vesicantibus agetur! quorum partes volatiles intrà corpus penetrando, stimuli ubique præsentis vices gerunt, ac proindè effectum morbi seu humorum stasim tollere & simul eorum crasim immutare valent. Sed est quoque circà scarificationes alia observatio quam hìc recordari juvat, quod scilicet hisce vulneribus semper epithemata & medicamenta à prudenti Medico, volatilibus, anti-septicis, acribus & quandoque causticis fœta imperentur. Quibus potiori jure bonus, qui sequitur effectus, quam scarificationibus propriè dictis, tribuendus videretur. *Cæterum ex fonte Chirurgico, docet* Hoffmannus, *jure adhuc repetere licet scarificationes, per quas in pedibus & scroto decenter institutas, humorem in anasarcâ copiosè stagnantem feliciter sæpè evocatum vidi, sed præcavenda omni modo est corruptio.* (*b*) Scarificationes commendante D. *Garengeot*, damnat è contra *Heisterus*; *verùm*, ait, *raro aliquid auxilii præstant, sed contrà inflammationes & gangrænam sæpiùs concitant, adeòque non nisi cautissimè adhibeantur.* Dum è contrà eodem Capite paulò superiùs laudat chelidonium majus & persicariam acrem, vel solam, vel cum chelidonio contusam circum pedes deligatam; item raphanum rusticanum, vel lepidium sivè piperitidem & alia similia (*c*) hinc videre est quantùm ex scarificationibus periculum, præcipuè si seriùs instituantur. Jure igitur vesicantibus, quæ in omni morbi decursu, quando tonicis & putredinem arcentibus sunt prudenter maritata, punctum omne tollunt, longè scarificationes cedere contendimus, undè, misso ulteriori examine, ad conclusionem properare juvat.

(*a*) *Vid.* Thesim. D. *Col de Villars*, anni 1738.

(*b*) *Hoffm.* de Hydrope.

(*c*) *Heisteri* Inst. Chirurg. p. 1. lib. IV. cap. 18 & p. 11. Sect. I. cap. 16.

Ergò in œdemate vesicantia scarificationibus tutiora.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Joannes Descemet, *Chirurgiæ Gallico Idiomate Professor.*

M. Cleriadus Vachier.

M. Bernardus de Jussieu; *Regi à Consiliis & Secretis, Regiæ Scientiarum Academiæ, Regiæque Societatis Londinensis Socius & in Horto Regio Botanices Pro-Demonstrator.*

M. Joannes-Baptista-Franciscus de la Riviere, *Consiliarius Medicus Regis ordinarius in ejus Castelleto.*

M. Petrus-Josephus Morisot des Landes, *Chirurgiæ Gallico idiomate Professor designatus.*

M. Joannes Astruc, *Professor Regius.*

M. Guido Danié des Patureaux.

M. Joannes-Ludovicus-Maria Solier, *Scholarum Professor.*

M. Guillelmus-Josephus de l'Epine, *Antiquus Facultatis Decanus.*

Proponebat Parisiis JOANNES D'ARCET, Severopolitanus-Adurensis; Doctor Medicus Burdigalensis, necnon Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus, Theseos Auctor. A. R. S. H. 1764.

A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis Viduæ Quillau, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1764.